

I. N. 7.

SPECIMEN ACADEMICUM
EXISTENTIAM
DIVINÆ
REVELATIONIS
ARGUMENTIS,

CUM

PHILOSOPHICIS TUM HISTORICO
PHILOLOGICIS,

BREVITER PROBATAM SISTENS.

Cujus PARTEM PRIOREM,

Consensu Ampliss. Facult. Philosoph. Aboënsis,

Sub PRÆSIDIO,

MAXIME REVERENDI atque CELEBERRIMI VIRI

D. NI. I S A A C I
R O S S,

S. S. L. L. PROFESS. REG. & ORD.

Et FAC. PHIL. H. T. DECANI.

Publico Eruditorum examini modeste submittere constituit.

JOHANNES FRID. WITTSTOCK, Joh. Fil.

WIBURGENSIS,

DIE XXXI. OCTOBR. MDCCLIX.

L. H. A. M. S.

ABOÆ, Impressit DIRECT. & TYPOGR. Reg. Magn. Duc.
Finland. JACOB MERCKELL,

S:æ R:æ M:tis
MAGNÆ FIDEI VIRO
Reverendissimo Patri ac Domino,
**DN. JOHANNI
NYLANDRO,**
S. S. Theologiæ DOCTORI
CELEBERRIMO,
Diœceseos Borgoënsis EPISCOPO
EMINENTISSIMO,
Scholarumque per diœcesin EPHORO
GRAVISSIMO,
MÆCENATI MAXIMO.

MAGNIS ingenii hoc proprium esse folet,
ut obsequiis delectentur, & clientum
suorum

fiōrum munera, non tam rerum pretio,
quam offerentium pietate & candore metian-
tur. Quamvis igitur probe mihi sim conscius,
quam exiguum sit hoc exercitium Academi-
cum & quam pingui Minerua illud elabo-
ratum, nullus tamen dubitauit submissa,
qua par est, veneratione TIBI Reverendissime
Præful idem offerre; celsa enim TUA
indoles promittit, TE hoc munusculum
prolixo, quo gnavos litterarum cultores
amplecteris favore, fore excepturum. Ut
enim TUA Reverendissime Episcope in me
beneficia numero plurima, pondere gravis-
sima, cernuus veneror; ita æris mei partem
levatam duxi, si publice profiterer, quam
multa TIBI debeam, quæ certe tanta sunt
ut si vel præcipua gratiæ TUÆ documen-
ta persequi anniterer, tempus me loquen-
tem deficeret. Nihil igitur prius, nihil
mihi antiquius erit, quam calida ad supremum
Numen fundere suspiria, velit TE
Reverendissime Præful in feros senectutis
annos sospitem ac incolumem servare, in

Patræ

JOHANNES LEBI. WITTSOER

Patriæ, Ecclesiæ, Reipublicæ litterariæ, Fa-
miliæ & Clientum, quotquot TUI sumus,
decus, gaudium & solatum exoptatissi-
mum. Sic ex intimis cordis penetralibus
vovet, &, dum vivit, vovebit.

REVERENDISSIMIS NOMINIS TUI

Cliens devotissimus

JOHANNES FRID. WITTSTOCK.

VIRO Maxime Reverendo atque Amplissimo,

D_{N.} GABRIELI FORTELIO,

S. S. Theologiæ DOCTORI & Diceceseos Borgoën-
sis ARCHI-PRÆPOSITO Meritissimo.

MÆCENATI MAGNO.

Tot tantaque sunt beneficia; quæ, Maxime
Reverende Doctor, nullo non tempore in
me contulisti, ut, cum eadem vix mente com-
prehendere, nedum rite prædicare valeam, omni-
um certe, quos sol unquam adspexit, merito in-
gratissimus essem, si occasionem commode obla-
tam

tam sine devotæ pietatis testificatione e manibus
dimitterem. In tesseram igitur gratissimi animi
TIBI, Mæcenas Optime, chartaceum hocce mu-
nusculum offero, humillimus rogitans digneris se-
rena illud adspicere fronte atque animum offeren-
tis magis, quam oblatum munus intueri. TUIS
vero de me & mea fortuna eximiis curis quævis
fausta & felicia rependat omnium bonorum Arbit-
ter, Teque Mæcenas Optime Tuosque omnes fo-
spites in longissimam annorum seriem conseruet,
quo Ecclesia & Patria de tanto fulcro, Scientiæ de
tanto decore, atque ipse de tam benigno Patrono,
perpetuo mihi gratulari possim. Hoc est quod ex
intimo pectore opto, idemque, erit voti, qui vi-
tæ meæ finis.

MAXIME REVERENDI NOMINIS TUI

humillimus cliens

JOHANNES FRID. WITTSTOCK.

VIRO Plurimum reverendo atque clarissimo,

DN. JOACHIMO
CLEVE,

Civitatis Helsingforisæ Comministro vigilantissimo,
Vice Pastori dignissimo.

FRATRI CARISSIMO.

UT NomiNI TUO dilectissimo, Frater carissime,
hanc inscriberem dissertatiunculam, voluit ar-
tissimum, quod nos intercedit sanguinis vinculum,
postulavit tenerimus, quo TE prosequor, amor,
imperarunt denique plurima inde a teneris in me
collata beneficia. TIBI enim initia & rudimenta
studiorum debo, TUA mihi opera & consilia
nunquam defuerunt, TU quoque propositi hujus
& Auctor & suasor mihi fuisti. TIBI igitur &
opusculum hoc & simul gratissimum animum do
atque dedico. De cetero, quod in me, est gnaviter
repandam, scilicet pro TUA Tuorumque felicitate
& incolumente diuturna calidissima nuncupare vo-
ta non intermittam.

CLARISSIMI NOMINIS TUI

Frater observantissimus
JOHANNES FRID. WITTSTOCK.

Enke Probstinna
Edla och dygdöfornäma Fru
M A R G A R E T A
A L O PÆA,

Min Hulda Mor

Här jag fästår min uppmärksamhet, på den obeskrifweliga ömhet,
som I, min Hulda Mor, haft för mig alt ifrån mina spådade år
och det nära band, som är emellan barn och föräldrar; så up-
weckes en innerlig fägnad, at den dagen omsider upgryt, på hvil-
ken mig gifves tilfälle, at offenteligen afsläggs en wördsamt tackfågelse
förd Edert, min Hulda Mor, margfalbiga och ömsintaste bekymmer och
hasde besvär. I hafwen genom förlättig upfostran inplantat hos
mig en san dygd och Guds-frucktan. I hafwen dryga omkost-
nader förd mig haft osparda, då I, Min Hulda Mor, tillätit mig mes-
rendels biwista det alminna lärdoms-säte härstädes. Ja I hafwen
använt alt, hvad, som ståt i Eder förmågo, at gjöra min lefnad säll
och fortkomst lyckelig. Uptagen dersöre, min Hulda Mor, dessa få af mig
utarbetade blad om uppenbarelsens Gudomliga ursprung, dem jag Eder
tilägnar, som en tolk af den vändeliga wördnad, kärlek och erkänsla,
som mitt innersta uppsyller. Mångden af Edra välgjärningar, dem efter-
tan kan ej nogtamt kan fatta, mycket mindre pennan med lisliga färgor
afföldra, befalla mig tystnad. Himmelens gjöre Edra dagar många och
sälla samt låte Eder med hälsa och sundhet förnöta Eder annalkande
höga ålder och åteligen när I hunnit til målet, så förwandla Eder
wanstelige lefnad med en härlig oförwanstlighet, under hvilken önskan
med Sonlig wördnad framhärdar

Min Hulda Mors

Ödmjuk lydigste Son

JOHANNES FRID. WITTSTOCK,



I. N. J.

P R A E F A T I O.

Non dubito fore plerosque, Lector benevole, qui hoc genus scripture superfluum judicent, cum de novo adserant legent necessitatem & existentiam Revelationis, quam multi viri docti ante hac & accurratius & copiosus adstruxerunt, quam a nostra tenuisse expectari potest. Sed hi erunt fere, qui falso sibi persuaserunt a jucunditate academicâ nihil ad disputandum proponi debere, nisi quod plane novas contineat veritates, vel saltem novas dissentientium exceptiones novis rationum pondiribus diluat. Hi si diaicerint, quanam vera sit ratio exercitiorum academicorum, non admirabuntur nos, primum ingenii specimen datus, tale eligisse argumentum, quale ratio virium videbatur postulare. Ingenui enim fatemur nobis non dum licuisse eam consequi dexteritatem, ut præstare possemus, quod non minus nouitate, quam utilitate se se cujus lectori possit commendare. Nec tamen ideo prorsus innanem sumfisse videmur laborem, quod notas omnibus veritates notis plerumque rationibus inculcatum camus. Vere enim dixit seneca: nunquam nimis dicitur, quod nunquam satis discitur. Tanta enim oscitantia laborant plerique nostrorum temporum homines, ut ne veritates quidem certissimas & planissimas in animum admittant, nisi toties earum repetantur demonstrationes, ut præcipua rationum momenta scmet vel inuitis insinuare possint. Proinde si non laudem, saltem excusationem nos impetratuos speramus, quod hic minus rarum exhibeamus specimen, quod ut tuo fiat favore, qua decet observantia, et jam atque etiam rogamus.

A

§. I.

§. I.

Quoniam ratio brevitatis, non permittit prolixius evoluere principia, quibus ipsam trationem necesse habemus superstruere, instar lemmatum adsumere liceat veritates quasdam generales de ente perfectissimo, quod Dei nomine veneramur. Saltem id nobis haud dissiculter concessum iri putamus, si loco plenarum demonstrationum, quas eruditissimis adornarunt, allegare conueniuntur veritates quasdam simplicissimas & communissimas, quarum omnes sunt capaces, qui vel rudimenta artium liberalium perceperunt, summa igitur confidentia statuimus existere Ens aliquod supremum omnibus gaudens perfectionibus, quæ sine repugnantia in uno subjecto concipi possunt adesse. Hæc veritas adeo est manifesta, ut neminem quidem sanæ rationis retinuisse videantur, qui eam in dubium vocare audent. Quemadmodum enim in genere a præstantia operis ad præstantiam opificis recte concluditur, ita in specie ab admiranda mundi machina ad infinitam conditoris bonitatem, sapientiam & potentiam tuto argumentamur. Nec sine maxima stultitia cogitari potest tam stupendum artificium a se ipso existere potuisse. Qui hoc statueret eandem proderet mentis inopiam, ac si contendere velles hanc dissertationem esse a se ipsa litteris exaratam, typis expressam atque nunc a se vindicari & confirmari. Qui vero Deum cum mundo confundunt eandem produnt amentiam, ac si quis, nos ipsos & hanc opellam

opellam unum idem que esse statueret, quod,
quam absurdum esset, nemo ignorat.

§. II.

EUm in finem a Deo Optimo maxime produc-
tos esse homines, ut decenti cultu divinam
illustrent gloriam & ad summum felicitatis fasti-
gium, cuius finita natura est capax, adscendere
possint, sanus quisque ultro nobis largietur. Si
negas, tibi probandum incumbit, quod Deus ne-
que voluerit, neque sciverit tales intendere fines,
quod tantundem esset, ac si rotundis & disertis
verbis dices eum neque optimum, neque sapientissi-
mum, neque potentissimum esse, verbo nullum
existere Deum, cum ipsum nomen hæc omnia in
volvat. Quemadmodum autem bonitatis est bonos
intendere fines, ita sapientiæ competit idonea
invenire media & potentia bonos fines idoneis
mediis ipso actu obtinere. Hinc, qui optimus est,
fines intendit optimos, qui sapientissimus, media
excogitat verissima & aptissima, & qui potentissi-
mus, omnia vincit impedimenta, quæ mediis ad-
plicandis & finibus obtinendis obstarere possunt.
Ex his itaque facile colligitur, Deum nihil reliqui
fecisse ad hominem fini suo idoneum redendum.
Si itaque talis jam esset conditio generis humani,
qualis erat primi hominis, cum e manu creatrice
exiret, certum esset, omnes homines non solum
gloriam supremi Numinis rite promovere sed
etiam participes esse veræ felicitatis.

§. III.

PRæterea summa Dei sanctitas, qua mala omnia non potest non perpetuo aversari, non tam postulat, quam efflagitat, ut credamus & sentiamus, Deum serio velle, ut homo bona faciendo & mala fugiendo ad portum felicitatis contendat. Quemadmodum autem bona non facit qui non cupid, nec cupid qui nescit; ita mala nec fugit, qui non odit, nec odit, qui nescit. Nam ut ignoti nulla cupido, ita ignoti nec ulla est aversatio. Hinc facile colligitur, bonorum atque malorum cognitionem esse primum veluti gradum acquirendæ & conservandæ felicitatis. Quanto enim clarius & certius bona cognoscimus, tanto ea fortius & volumus & facimus. Mala vero contra, quo solidius & vividius intelligimus, eo vehementius ea aversamur. Divina igitur bonitas facere non potuit, quin talis fabricaretur homo, ut cum boni & mali notitia conjunctam haberet & voluntatem & facultatem tum illud appetendi & faciendi, tum hoc aversandi & fugiendi. Quid? quod necessario addendum, eo gradu homini concessasuisse has facultates, ut bonis faciendis & malis fugiendis perfecte sufficerent. Quod si itaque constet, huminem hodie aliter esse comparatum, vere præsumitur, sua se culpa e statu perfectionis in statum corruptionis præcipitasse.

§. IV.

UT autem eo certius scire possimus, solam rationem sini creationis minime sufficere, e re fuerit con-

conditionem mentis humanæ præsentem paulo ac-
curatius expendere. Hoc vero neque facilius ne-
que felicius præstare poterimus, quam si cum do-
mestica experientia quisque contendat testimonia
Histocica. Primum quidem, si candide & cordate
in exploratione nostri versari velimus, tantum abest,
ut in nobis ullam mentis facultatem integrum &
perfectam inueniamus, ut potius in singulis pro-
fundam deprehendamus corruptionem. Quod in
genere de omnibus, id in specie dei intellectu va-
let. Is sane tanta laborat cæcitate, ut credi non
possit, quod talis ab initio extiterit. Nihil certe
sæpius accidit, quam ut bona malorum & mala
bonorum speciem mentiantur. Unde fieri non po-
test, quin cuique interdum usu veniat, quod de
cæco viatore in fabula dicitur, ut pro baculo vipe-
ram amplexatur. Tristissima hæc experientia ad-
eo est universalis, ut ne illi quidem mortalium
excipi hic penitus possint, quos ob præsumtam
veritatis scientiam instar oraculorum adorant sim-
pliciores. Usum rationis amisisse merito judicaretur,
qui hoc ipsum non dicam negare, sed in du-
biū vocare auderet, præsertim cum quilibet a-
pud alios inuenire possit, quæ in se ipso obseruat
cæcitatis documenta. Euolua omnes annales,
consule omnia sapientum scripta, in quibus ali-
quid de his rebus memoriae proditum est, & ne
unicum inuenies exemplum, ex quo cum aliqua
specie veritatis ostendi possit contrarium. Non
equidem ignoro, semper suis inuentos, qui va-

stæ scientiæ opinione tumentes, nihil tam abstrusum existiment, quod suo se accumine non credant penetraturos; sed aut valde fallor, aut falsa est quam jactant, sagacitas, in primis, si ab omni divina reuelatione abstrahant. Si fieri posset, ut dicta & facta singulorum vel ad sanæ rationis lancem expenderentur, facile appareret, eorum nugas esse ipsa vanitate vaniores. Nemo certe hominum solida sui notitia imbutus unquam negare potuit, se valde imperfecta gaudere bonorum malorumque scientia. Ex quibus magna sit significatio, humanum intellectum universaliter esse corruptum, nec cogitari posse hominem, qui non ob hanc caussam in maxima viuat miseria, nisi ex alio fonte, quam ratione sibi reicta, necessaria instrumenta felicitatis comparandæ & infelicitatis propulsandæ depromere liceat.

§. V.

HAnc tamen veritatem ad huc clarius & certius expressisse juvabit, ne ullus quidem locus amplius relinquatur exceptionibus hominum male feriatorum, quibus volupe esset omne revelationis lumen extinguere, ut impune in tenebris palpare possent, in operibus tenebrarum insanam voluptatem querentes. Non sane diffiteor eam esse vim rationis, ut quilibet homo integræ mentis & matræ ætatis quodam modo percipere possit saltem generalia illa præcepta, quibus ratio honestatis naturalis continetur; præterquam tamen, quod hæc

hæc perspicacia ex conditione humanioris educationis necessario suspendi debeat, jure mihi contendere posse videor, quod multi etiam a sagacissimis mortalium committi soleant errores, ubi laudatæ modo regulæ generales ad casus quoslibet speciales erunt adipicandæ, præcipue, si nulli ad huc radii luminis super naturalis connatam mentis cætitatem corrigere cœperunt. Præterea ad verum veritatis moralis studium non sufficit simpliciter novisse, quid boni & quid mali rationem habeat, aut alias rationes impellentes hujus vel illius sibi proponere, sed in super requiritur, ut eæ vires, ea boni faciendi & mali sugiendi adsint motiva, sine quibus voluntas ad perfectum obsequium flecti nequit. Vedit hunc defectum naturæ paganus ille homo, qui quondam experientia seu intima sui conscientia de veritate convictus dixit: *Video meliora proboque, deteriora sequor*: Non discrimen modo boni malique fatetur, sed præcelentia quoque illius præ hoc, adeoque motiva aliqua ipsi obversata fuerint. necesse est: neque enim, secus si fuisset, addere potuisse: *proboque*. Jam vero hæc omnia a ratione frustra exspectabis. Ergo certa est consequentia, aut, vi justitiae Dei vindicativæ, ipsi essentialis, qua non potest non quemvis obedientæ neglectum gravissime punire, generi humano in miseria perpetim manendum, aut eum, pro infinita sua perfectione, in specie bonitate & sapientia viam invenisse & revelasse, qua reconciliari hominibus possit & vires ac tanta sup-

Suppeditentur cum a malo avocamenta tum ad bonum incitamenta, quot & quanta omnino sunt necessaria, si hoc vere Deoque placenter facere & illud vere fugere possis. Posterius, ut non sine formidine oppositi sperat, ceu probabilius, ratio, saltem excitata, imprimis, si subsidia historica simul in auxilium vocaverit.

§. VI.

Dixi probabilius: Cum enim summum Numen hoc universum ad manifestandas perfectiones suas produxisse haud difficulter perspiciat lumen naturæ, eundem misericordiæ quoque suæ infinitæ patefactionem intendisse porro colligit. Enim vero homines, ut sub reatu divino per allata existentes adeoque miserrimi, ita exercitii misericordiæ summe indigi sunt. Unde DEum ipsos decrevisse e reatu eripere, saltem vero similiter, concluditur, præsertim cum vix ullo modo infinitæ convenire misericordiæ videatur, tot millions hominum, qui, a primis peccatoribus sati, ipsi non potuere libere consentire vel in primum delictum, vel infectam hanc naseendi conditionem, sine ulla spe auxilii in reatu & inde oriunda miseria relinquere. Vix ullus, DEo dignior, miseriendi casus, hoc ipso, videtur ex cogitari posse. Multi quidem ex priscis gentilibus hac veritate: quod corrupti & ad finem nostrum inepti nascamur, turpiter abusi sunt ad Creatorem sanctissimum accusandum, semet autem a culpa omni liberandos: quod,

quod, præter innatam ac voluntariis sceleribus auctam prauitatem, inde sine dubio provenit, quod nec originem hujus mali, nec remedium possibile perspicerent. Sed nihil inde vel contra nostram sententiam, vel in fraudem saniorum rationis principiorum elici potest, quippe quæ evidentissime monstrant Deo non, nisi absurdissime, culpam imputari, ceu fusius in Theologia naturali demonstratur. Longe igitur faventiore veritate sic rationes subducuntur: homines nascuntur corrupti & peccatores: ejus rei culpa nulla in sanctissimo Condитore residere potest, ergo in ipsis hominibus, quo-cunque dènum modo acciderit, invenietur, quod & loquuntur tot mala physica, quæ, ceu pœnæ divinæ, mortales premunt. Impossibile enim est, Dei summam sanctitatem & justitiam creata rationalia innocentia & inuita malis affligere. Quoniam tamen miseri hi orbis incolæ culpam contraxerunt ante liberum consensum, ideo vero est proximum, summam bonitatem horum misereri ac viam iniisse, qua id, falua justitia, fieri possit. Cumque, qua in re medicina hæc exoptatissima consistat aut quid ab homine, in tali casu, observari debeat, per solam rationem haud constet, si-ne dubio Deus alio modo atque immediate consilium suum hac de re manifestauit. Datur ergo reuelatio diuina peculiaris. Accedit, quod cum ratio clare satis perspiciat primos homines e manu creatrice immediate prodiisse, probabili non ca-

reat conjectura, illis saltem immediatam obtigisse reuelationem.

§. VII.

SED huic spei, qua se quodammodo erigit naturæ lumen, haud leve addit pondus *historia*, imo maximum, si *Biblica* illa includatur, quod optimo jure fieri potest, dummodo tantisper scriptura Sacra consideretur ut liber mere historicus, cui in maximo gradu, præ omnibus aliis scriptis res gestas referentibus, sua constat fides historica & abstrahatur interea a diuinitate ejus. Non autem ero multus in ostendendo, vix ullam facile nominari gentem posse, quæ non aliquam reuelationem, ut religionis suæ fundamentum, venditet. Præter judæos & Christianos, de priscis gentilibus res notissima est, quibus quanto in pretio Oracula, ceu tot diuinæ reuelationes, fuerint, neminem fugere potest. Nec e recentioribus paganis, vel inter nationes maxime cæcas, facile ullam periri testantur itineraria, quin ritus aliquos sacerorum habeant, de quibus credant, eos sacerdotibus vel majoribus suis reuelatos esse. Sic de Malabariæ incolis narrant Missionarii Dani, eos firmiter sibi persuadere, Deos olim diuersis in terris vario modo se manifestasse, interque majores ipsorum miraculis patratis religionem, quam teneant stabiliuisse. Ast missis ipsis potius tangendæ videntur doctorum quorundam meditationes, qui ad vestigia reuelationis existentis ipsum illud lumen

men & acumen, quo nostro imprimis tempore, in veritatis religionis naturalis pollet ratio, referre non dubitant, contendentes, nisi extitisset reuelatio, fieri non potuisse, ut iis argumentis uteremur, quæ jam ab attributis diuinis desumimus, sed ad has demum vires peruenisse rationem a veritate reuelata expergefactam. Quod ut euincant, ex infinito numero sapientum inter gentes, varia afferunt exempla philosophorum accutissimorum, qui non obstante mentis acie excellenti, de Ente perfectissimo valde imperfectas fouverunt opiniones, idque per plurimum seculorum decursum. Prouocant deinde partim ad integras gentes, quæ in tantis ignorantiae tenebris errare narrantur, ut vix tenuia quædam religionis vestigia deprehendi in illis potuerint, partim certa quædam indiuidua, quæ exclusa omni humana ope, inter bestias, adoleuerint, eamque ob causam non nisi brutam quandam feritatem præ se tulerint, vix uila alia boni & mali cognitione imbuta, quam quæ ex cæco sensuum judicio in solidum pendeat & omni animantium generi sit communis. Accedere tandem, quod quotidiana doceat experientia, eam esse indolem generis nostri, ut facilius in pejus ruat, quam in melius surgat, si quisque suæ relinquatur libidini, nec de industria ex denuo contracta cæcitate reuocetur & retrahatur. In multis enim terris ubi olim ardens floruerit veritatis & virtutis studium, nunc in crassis ignorantiae tenebris & omnibus vitiorum fordibus voluntari homines. Hinc valde fieri

fieri probabile, omnes homines adhuc in bruta quadam stupiditate hæsuros, nisi aliquando ex revelatione culturam ingenii adepti fuissent, nec meliorem multo futuram fuisse totius generis conditionem, quam quæ fuit certorum hominum, qui, ut fertur, inter bestias fuerunt educati, ac præter externam corporis figuram, quantum, quidem fide constat historica, nihil humani habuerunt. Unde vix dubitandum esse putant, quin veteres isti doctores, qui primi genus mortalium ex bruta ista stupiditate extraxerunt, sua *ex* fonte reuelationis potissimum hauserint.

§. VIII.

QUæ ut haud contemnenda suoque relinquenda loco ducimus, ita proprius ad nostrum facit institutum *fama* illa de ecclesia Dei inque illa assertato cimelio doctrinæ revelatæ. Tam, inquam, excenso loco collocatum voluit Deus benignissimus cœtus fidelis candelabrum, tam mirabilibus illustrare factis, cum ante tum post Christum natum, ut non facile gens existerit ulla, cui non inde salutaris cognitionis scintilla quædam illuxerit, majori lumini paratura viam, posito fano & recto minoris usu. Quod cum verum omnino sit de Mosis ac sequentibus veteris Testamenti temporibus, tum post mundi Seruatorem in cœlos enectum, excellentissima imprimis ratione contigit. Quas enim nationes non debuit illa, sine exemplo mirabilis, doctrinæ cœlestis ac tam subitanea pro-

propagatio reddere attonitas & attentas? Quis in omnibus totius orbis gestis, quæ sunt aut fuerunt, istis similia legit, audiuit: (α) dogmata & præcepta stultitia visa, libidinibus connatis ingratisima (β) ab hominibus exosissimis, contemptissimis ne mendicorum quidem sorte æstimatis, imo pro victimis piacularibus ac ciuitatum purgamentis habitis, citra (γ) arma, diuitias, eruditionis, auctoritatis, natalium splendorem, solius veritatis præsidiis, intra (δ) breue temporis spatium, per uniuersum orbem, (ε) obstantibus impedimentis, quæ humanis consiliis ausibusque invicta jure censentur, hostium puta potentissimorum callidissimorum dolos & machinationes, truculentissimorum tyrannorum persecutiones, cætera, nihilominus propagata esse? Nec leuem aut vanum rumorem, sed optime fundatam hanc fuisse & esse famam vel inde patet, quod factis innitatur, quorum vestigia etiam num oculis nostris obuersantur. Sic non vana esse, quæ de gente quadam Judaica ejusque religione feruntur, vel ipsi posteri ejus per orbem dispersi satis euincunt. Quæ de Christo narrantur, vera esse, fidem faciunt Christiani latissime per omnes mundi habitabilis partes propagati, quippe cuius rei nulla alioquin dari posset ratio. Accedit, quod de iisdem factis ipsaque reuelatione cum Judaica tum Christiana testimonium scriptores non domestici tantum, sed exotici etiam, atque utriusque religioni valde inimici prohibeant, quod pro merito, fusius ostendere jam non vacat. Et

licet negari nequeat errorum & gentilismi tenebras haud raro, lumine salutari extinto, magnam terrarum partem velut postliminio occupasse, quo ipso fama reuelati verbi, saltem in illis locis, suffocata penitus videri posset: tamen & hoc concedendum est, nouos subinde radios potuisse hauriri ex commercio cum gentibus vel vicinis vel remotis, occasionem præbentibus variis peregrinato-ribus vel casu vel consilio in earum territoria de-latis. Quid? quod bella ipsa soepe, Deo sapientissime dirigente, famæ Evangelii dilatandæ seruierunt. Hinc auctoribus quibusdam, qui harum rerum satis periti censentur, in singulis fere mundi angulis ea conspiciuntur indicia, ex quibus saltem aliqua similitudo elucefecit religionum recentiorum cum antiquissima, hoc est, reuelata.

§. IX.

QUæ omnia, præsertim si eorum plura conjun-
ctim, aut omnia simul ad animum admittere
licuit, sicut quosuis homines inexcusabiles reddere
valent, qui: utrum, ultra ea, quæ ratio docet,
Deus se suamque mentem de homine e miseria
eripiendo peculiariter manifestarit, vel in dubium
vocare, vel omnino negare sustinerent, nec se il-
lis paterentur incitari ad veram reuelationem sum-
mo quærendam ardore eamque a spuria, si quam
obtrudi contingat, dignoscendam; ita longe gra-
uiori se obstringunt culpa, quibuscumque exemplari-
um biblicorum siue aūthentici idiomatis, siue in trans-
lationibus, ita facta est copia, ut eorum conten-
ta,

ta, historica ad minimum, suis oculis & auribus haurire, & quantum satis est, intelligere, si vellent, possent; si & illi ignorantiam existentis reuelationis veræ, iſis sane turpissimam, præ se ferant. Tales, contra controuersiam, sunt non pagani tantum, quibus per Missionarios, imprimis euangelicos, prædicatum est verbum Dei, sed vel maxime Naturalistæ nostri temporis, in medio Christianismo degentes. Quum enim hi, Naturalistas puta, varia eaque numero plurima, ex ipsa scriptura sacra de-promta aduersus eam vibrat tela, hoc ipso se ejus historiæque sacræ haud ignaros testantur. Sed iidem homines, ut sunt liberales, si suorum commodorum ratio postulet, historicam fidem, etjam in iis, quæ ex antiquissimis historiis petuntur, (a) ultro concedunt. Sapienter utique si enim contingat Naturalistam aut fratrem etiam ejus Atheistam creari Regem, senatorem, Ducem, Consulem, Comitem, Baronem, Nobilem &c, nec tamen ulla veritas historica sibi constaret, facile fieri posset, ut jura illorum omnia, quæ factis anterioribus non possunt non inniti, in dubium vocarentur, periclitarentur misere. Paucissima certe prostant exempla hominum hujus gregis, qui hic exceptionem a regula faciant. (b) Ceteri hujus furfuris homines

(a) Modo sint profanæ eaque proferant, quæ vel fideculis quibusdam, licet contra mentem auctorum, aduersus rem Christianam adduci possint.

(b) Inter tales sufficiat memorasse quemdam auctorem, sive Muraltus ille sit, sive, ut alii volunt, foemina quædam

homines non tam sunt inficeti, vel potius in se metipsoe injurii ac improuidi, ut historicam fidem in gener e sollicitent. Sacram quidem historiam auctoritate sua exuere conantur, verum absurdissime se hoc ipso gerunt suoque se jugulant gladio. Concessa namque veritate historica & fidei ejus in genere, eandem historiis divinis derogare non deberent. Quod dum faciunt, vel rudiorum risui spiritus fortes, ut vocari amant, semet exponunt. Ob quas enim rationes illam admittunt, ob easdem, imo longe grauiores, hæc auctoritasque adeo scriptorum biblicorum in rebus historicis concedenda erit. Demonstrarunt hoc inuicte ac solidissime, nostra in primis ætate, viri egregii. Proinde breuitati litantes beneuelos Lectores ad illos remittimus ac hisce subsistimus.

Mademoiselle Hubert de Lion, aliis etiam scriptis non ignota, in opere, quod inscribitur: Lettres sur la religion essentielle à l' homme, distinguée de ce qui n'en est que l' accessoire. Contenditur hic vix quicquam tribendum esse historiis antiquioribus vanaque adeo & incertissima judicari debere, quæ ex hujus modi fontibus (Quis non intilligit scripta historica sacri codicis peti?) pro religione Christiana allegentur. Sed fuit huic auctori peculiaris scopus: voluit scilicet argumentum a miraculis desumptum, quod unicum putauit pro Diuina origine reuelationis in scriptura sacra contentæ afferri, ut falsò quam maxime, posse, evicerere. Subruta itaque historica fide gestorum, quæ narrant Amanuenses sacri, qua, ut putat, innitantur omnia, quæ de miraculis Veteris & Novi testamenti sibi persuadeant homines creduli, existimauit futurum, ut totum, quantum quantum est, Christianismi ædificium (cujus ruinam ex imo perstire, ut omnia produnt, anhelabat) rueret.